

Hujus formæ sunt 1:mo *stricta* proprie sic dicta, capsulis squamis longioribus; spicis cylindricis, sessilibus, androgynis.

2:do *media*, capsulis squamis multo brevioribus; spicis elongatis subpedicellatis, numerosis; foliis latioribus. Antecedente major. Est quasi media inter acutam et strictam.

3:tio *fluvialis*, spicis femineis oblongis, distantibus; bracteis longissime foliatis angustatis; masculis numerosis (subquaternis) et longe a femineis remotis; capsulis dense imbricatis, adpressis, utrinque tricostatis, squamas superantibus. Hab. in Svecia media circa Norrköping etc. Specimina cum denominatione det. Cl. Dom. Indebetou. Nulla stricta hactenus in Lapponia visa.

*Carex acuta* differt in primis capsulis tumidis, rachidi non adpressis; demum rufescentibus. Cujus formæ sunt 1:mo *acuta a*, spicis masculis pluribus; femineis pedunculatis; capsulis tumidis obtusis, squamis violaceo-atris, capsulas æquantibus.

2:do *ripensis*, masula unica; spicis femineis suboblongis sessilibus; capsulis angustatis, acutiusculis, subcompressis, ustulatis; culmo abbreviato stricto. Hab. ad ripas glareosas fluminum ad Kätkesuando, et Kuttainen frequen-